

Truc. 5. 40). *Puero opus est CIBUM.* (id. Pseud. 4. 4. 152). *Ad eam rem usus est HOMINEM astutum.* (id. Casin. 2. 8. 31). *Clam meam UXOREM.*  
*Accusativus additus verbo exigo. Ut exigo pecuniam, portorium. Quare videntur prisci etiam dixisse: Exigo te pecunias, portorium; quae saeculum eruditius rejecit.*

§ III. ARCHAISMUS IN VERBO

494. Ad archaismum videntur pertinere verba communia passively usurpata in temporibus imperfectis. (Cic. ap. Prisc. 8. 793). *Hoc restiterat etiam ut a te fictis AGGREDERER donis.* (id. ib. 8. 792). *Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, ASPERNATUR.*

Plurima exempla referuntur in verbis *adolor, consequor, consolor, vereor, utor*, aliisque quamplurimis, quae nunc sunt deponentia. Haec notanda videntur potius quam imitanda.

495. *Misereor et vereor impersonaliter usurpata.* (Turpil. ap. Non. 7. 80). *Quam MATRIS, nunc PATRIS ME miseretur magis.* (Pacuv. ib. 9. 3). *Nihilne TE POPULI veretur, qui vociferare in via?*

Quos semel imitatus est Cicero (de Fin. 2. 43): *Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non EST VERITUM in voluptate summum bonum ponere.*

496. Futurum infiniti fixum, id est, nulla numeri aut generis variatione, usurpatum. (Valer. Ant. ap. Gell. N. A. 4. 7). *Haruspices dixerunt OMNIA ex sententia PROCESSURUM esse.* (C. Gracch. ib. 47). *Credo ego INIMICOS MEOS hoc DICTURUM.*

Quos imitatur Cicero (Verr. 2. 5. 65). *Hanc sibi REM praesidio sperant FUTURUM.*  
Huc videntur pertinere voces illae *amatum ire, lectum ire, oppugnatum ire, perditum ire*, pro *amare, legere, oppugnare, perdere*.

Adverbium in *um* ante comparativum. (Ter. Eun. 42. 51). *Ejus frater ALIQUANTULUM ad rem est avidior.*

LIBER TERTIUS

PROSODIA

PRAENOTIONES [437, 438]

497. Vocalium et syllabarum *quantitatem temporibus* (vel *morulis*) metimur, quorum ratione aut *breves* sunt, aut *longae*, aut *communes*.

*Tempus est spatium* quo vocalis aut syllaba pronuntiatur. Vocalis *brevis* ex uno tempore atque spatio constat: v. gr. *et*; *longa* duobus: v. gr. *ah*; *communis* vocatur, quae brevis aut longa esse potest: v. g. *virgō* (1).

N. B. Nulla vocalis apud Latinos perpetuo brevis aut longa est: apud Graecos  $\epsilon$  et  $o$ , quae  $\dot{\epsilon}$  et  $\dot{o}$  valent, perpetuo sunt breves;  $\eta$  et  $\omega$ , quae  $\bar{\eta}$  et  $\bar{\omega}$  valent, semper sunt longae.

498. Consonis dimidiata tantum morula tribuitur: unde si vocali brevi simplex consona subjungetur, tum vocalis tum syllaba brevis permanebit: v. gr. *et*; si vero duplicem adjiciemus consonam, longam syllabam efficiemus, etsi brevis persta-

(1) Vocalium omnium breviter et longitudinem, quae etiam imperitae multitudini olim nota fuit, ut docet Cic. Or. 51, hodie ne docti quidem distinguunt. Latini ut vocales longas in scribendo notarent, modo litteras geminarunt Oscurum et Sabellorum more, modo longiorem formam adhibuerunt (Cf. n. 65), modo punctum aut virgulam imposuerunt productae vocali: verum haec numquam communia fuerunt, et brevi relictis sunt.

bit vocalis: v. gr. *ars*; quae syllaba duo habet tempora, alterum proprium vocalis brevis, alterum ex utraque consona conflatum. Illa tamen vocalis vocatur etiam longa *positione*, ut ab aliis distinguatur, quae *natura* longae sunt. Ad quantitatem quod attinet, consonarum quae vocalem antecedunt nulla habetur ratio, sed earum solum quae ipsam consequuntur: idque sive ad eandem syllabam spectent, sive ad diversam, sive etiam ad aliud verbum. (Cf. n. 511).

499. Litterae *liquescent*, quum tempus integrum non habent; vocales nempe unam morulam, consonae vero dimidiatam (1).

1.° *L* et *r* liquescunt post mutam, si utraque pertinet ad sequentem vocalem: v. gr. *tenē-brae*; tunc vero in soluta oratione vocalis brevis est, in carmine vero communis. Quod si pertineant ad diversas syllabas aut verba, vocalem reddunt longam positione: v. g. *ob-ruo*, *sub rupe*. (Cf. n. 511).

2.° *F* praepositum liquidis *l* et *r*, vim habet mutae, et syllabam facit communem. (Virg. G. 4. 262). *Stridit rēfluentibus undis*. (Id. Aen. 11. 622). *Mollia colla rēflectunt*. (Enn. Ap. Hor. S. 1. 4. 61). *Portasque rēfregit*. Ideo hanc plerique mutis adscribunt.

3.° *S* quamvis immunis ac sui juris sit, (neque enim inter liquidas, aut duplices numeratur), interdum tamen liquescit, ut suo loco dicemus.

4.° *U* post *q* litteram semper liquescit, ut *quare*, *quaero*, *quia*, etc. At post *g* et *s* modo liquescit, ut *lingua*, *languo*, *anguis*, *extinguo*, *suadeo*, *suavis*; modo integra est suamque vim retinet, ut *exiguus*, *suus*.

500. *Jod* quando sit vocalis aut consona (vide in n. 65). Apud Hebraeos semper consonans est, quum vocalibus praeponitur, ut *JESUS*, *Joannes*, *Jacobus*. Itaque qui haec atque alia ejusdem generis nomina per *j* consonantem efferunt, optime quidem pronuntiant; qui vero per *i* vocalem, Graecos imitantur. Claudianus (ep. ult.) Graecorum more dixit: *Ne laceres versus, dux IACOBE, meos*. Antiquis tamen poëtis major habenda est fides. (Hor. S. 1. 5. 100). *Credat JUDAEUS Apella*.

*H* sitne littera an adspirationis nota, dubium controversumque est; in carmine vix ejus habetur ratio.

(1) Recentiores litteris quae liquescunt, illisque vocalibus, quas communes vocavimus, non tribuunt tempus perfectum, sed prioribus quidem minus dimidiata mora, aliis vero plus simplici: ideo dicunt habere mensuram *irrationalem* vel *incommensurabilem*, et multum disputant de causa.

CAPUT I

PRAECEPTA GENERALIA DE SYLLABARUM BREVITATE AC LONGITUDINE

§ I. DE DERIVATIS AC COMPOSITIS [454-462]

501. Derivata patris naturam verba sequuntur. Legem simplicium retinent composita suorum. At cum prole *nēfas* ex *nē*, *nēqueoque*, *nēfandus* Corripere, quae ex *pro* et *for*, *fugio*, *neptisque*, *neposque*, Et *festus*, *fundus*, *fateor*, *fanumque* oriuntur. Hisce *prōfecto* addes, pariterque *prōcella*, *prōtervus*, Atque *prōpago* genus: *prōpago*, protrahe vitis. *Prōficio* ducit, *prōfiscor* at inde recedit, Hoc ergo discrimine duc breviate *profectus*. *Prōpino* varia, *prōcuro*, *prōpago*, *prōfundo*. *Idem* masculineum producit et *ubique* et *ibidem*.

502. Derivata sequuntur naturam eorum, a quibus derivantur, ut *lēgebam*, *lēgam*, *lēgito* a praesenti *lēgo*: at *lēgeram*, *lēgerim*, *lēgissem* a praeterito *lēgi* orta.

Composita etiam brevitate vel longitudinem simplicium sequuntur. Sic *perlēgo*, *relēgo*, *is*, a *lēgo*, *is*; *relēgo*, *allēgo*, *as*, a *lēgo*, *as*.

EXCEPTIONES. 1.° Adverbium *nē* breviate *e* in *nēfas* cum compositis *nēfastus* et *nēfarius*: item in adjectivo *nēfandus*.

2.° Corripitur *prō* in *prōfundus*, *prōfugus*, *prōnepos* et *prōneptis*, *prōfestus*, *prōfari*, *prōfiteor*, *prōfanus*, *prōfecto*, *prōfectus* et *prōfecturus* a *prōfiscor* (nam a *prōficio* producitur), *prōcella*, *prōtervus*, et *prōpago* nomen, quum *genus* significat, nam *prōpago*, id est, *vitis depressa*, producitur.

(Lucan. 6. 589). *Quam prior affatur Pompeji ignava prōpago*. (Virg. G. 2. 63). *Sed truncis oleae, melius prōpagine vites*.

3.° *Prōpino*, *prōcuro* et *prōpago* verbum, primam habent communem. *Profundo*, *is*, raro eandem producit; *propello* nonnumquam apud Lucrum eandem corripit; ut (4. 195). *Est procul a tergo, quae provehat atque prōpellat*.

4.° Habent *i* longum *idem* pronomen virile (pro *isdem*), et *ubique*, *ibidem*, licet sit in *ubi* et *ibi* commune.

N. B. Multa, quae originis naturam non sequuntur, videas inferius n. 552.

§ II. DE VOCALI ANTE VOCALĒM [439, 440]

503. Vocalem breviant alia subeunte Latini.  
 Produc, ni sequitur *r*, *fio*: et nomina quintae,  
 Quae geminos casus *e* longo assumit in *ei*.  
 Verum *e* corripies *fidē*que *spē*ique *rē*ique.  
*Ius* commune est vati; producito *alīus*:  
*Alterius* ferme rape: *Cāi* et caetera produc  
 Cum *ēheu*, *dīus*; *ōhe* variabitur, adde *Diana*.

504. Vocalis ante vocalem in latinis dictionibus brevis est, ut *pūer*,  
*fūit*, *rūit*, *trāho*, *prōhibeo*.

(Virg. Aen. 12. 455). *Disce, pūer, virtutem ex me verumque laborem.*

EXCEPTIONES. 1.<sup>a</sup> *Fīo* *i* habet longum, nisi sequatur *r*.

(Juvenal. Sat. 2. 135). *Fīent ista palam, cupient et in acta referri.*

Sin *r* sequatur, breve est, ut *fierem*, *fieri*, *confieri*.

(Virg. Aen. 4. 115). *Confieri possit, paucis, adverte, docebo.*

2.<sup>a</sup> Interrogandi ac dandi casus quintae declinationis *e* producunt inter  
 duo *ii* positum, ut *dīei*, *spēcīei*.

(Hor. Sat. 1. 9. 35). *Ventum erat Vestae quarta jam parte dīei.*

Corripe tamen *rēi*, *spēi*, *fidēi*. Quamvis apud Lucretium vox *rei* modo  
 monosyllaba sit, cui saepius additur *i*, modo dissyllaba, *e* producto.

(Lucr. 3. 931). *Aut aliae cujus desiderium insideat rei.*

(Id. 2. 236). *Tempore inane potest vacuum subsistere reii.*

N. B. Apud eundem Lucretium *e* in *fidei* producta reperitur, quod non videtur imi-  
 tandum.

(Lucr. 5. 403). *Nec jacere indu manu, via qua munita fidei.*

3.<sup>a</sup> Genitivus in *ius* habet *i* longum in soluta oratione; in carmine tum  
 breve tum longum. *Alius* in genitivo penultimam ubique producit, *alter*  
 corripit apud poetas heroicis, ne brevis inter duas longas claudatur (*āl-*  
*tērīus*); oratores nunc fere producunt, ut *neutrīus* et alia.

(Virg. Ecl. 1. 7). *Namque erit ille mihi semper deus, illūis aram.*

(Id. Ecl. 1. 64). *Quam nostro illūis labatur pectore vultus.*

4.<sup>a</sup> *Cāi* (pro *Cāj*), *Pompēi* (pro *Pompēj*), *Voltei* (vid. n. 65, obs. 1.<sup>a</sup>), et  
 si qui sunt similes vocandi casus, penultimam habent longam.

(Martial. Ep. 2. 50). *Quod peto da, Cāi, non peto consilium.*

(Ovid. Pont. 4. 1. 1). *Accipe, Pompēi, deductum carmen ab illo.*

5.<sup>a</sup> *Ēheu* (pro *heu heu*) et *dīus* priorem habent longam.  
 (Hor. Sat. 2. 3. 156). *Quanti emptae? Parvo. Quanti ergo? Oclussibus.*  
*Ēheu!*

6.<sup>a</sup> *Ohe* (pro *o he*) et *Dīana* priorem habent communem.  
 (Martial. Ep. 4). *Ōhe, jam satis est, ōhe libelle. Phaleucius est.*

§ III. DE DIPHTHONGO ET VOCALI CONTRACTA [441]

505. Diphthongum produc: dices *prāeuro*, *prāeustus*,  
 Longaque vocalis semper contracta sonabit,  
 Ante *t* finalem ni venerit, ut *monēt*, *armāt*.

506. Diphthongus longa est: at praepositio *prae* in compositis, quum  
 vocalem praecedit, brevis est; recentiores aliquando producunt.

(Virg. Ecl. 1. 6). *O Melibāe, Deus nobis hāc otia fecit.*

(Virg. Aen. 7. 524). *Stipitibus duris agitur, sudibusve praestis.*

(Stat. Theb. 6. 519). *Prāmia, quum vacuus domino praeret Arion.*

Omnis vocalis contracta longa est, nisi ante *t* in fine sit posita, ut *amāt*  
 (*ama-it*), *monēt* (*mone-it*), *audīt* (*audi-it*). At *flūmen* (pro *flū-imen*), *nūmen*  
 (pro *nū-imen*), *perīculum* (pro *perī-iculum*).

(Ovid. Pont. 1. 2. 15). *Hostibus in mediis interque perīcula versor.*

(Hor. Od. 2. 14). *Visendus ater flūmine languido.*

(Virg. Aen. 6. 316). *Ast alios longe summos arcet arena.*

507. Juxta hanc regulam longa est vocalis tematica *ā*, *ē*, *ī*  
 in 1.<sup>a</sup>, 2.<sup>a</sup> et 4.<sup>a</sup> conjugatione (*amā*, *monē*, *audī*), nisi sequi-  
 tur vocalis (*audio*, *monēam*), est enim contracta. (Conf. n. 223.  
 et sqq.).

N. B. Prisci poetae contractam syllabam ante *t* in fine producebant.

(Lucret. 4. 71). *Virtutem irritat animi, confringere ut arcta.*

(Id. 6. 586). *Disturbat urbes et terrae motus obortus.*

Quem imitatus Juvenalis dixit (Sat. 6. 559):

*Magnus civis obit et formidatus Othoni.*

§ IV. DE MONOSYLLABIS [489]

508. Desierint *ni* *b*, *d*, *t* monosyllaba produc.

Encliticas ac syllabicas rape, ut *hic-ce suo-pte*.

Adjice: *nec re-per-is vir cor-bis an in-ter-es os-cis*.

*Mel, fel, fer, fac, quis, quā, vel*; at pronomen *hic* anceps.

509. Monosyllaba longa sunt, ea etiam, quae in compositis dumtaxat reperiuntur, ut *fūr, sāl, sōl, dūc, ōs*, (ab *os, oris*), *dē, ā, dī-vello, vē-sanus, sē-curus, sō-cors, tū, vōs, sē, mē, tē*.

(Ovid. Met. 1. 315). *Separat Aonias actaeis Phocis ab arvis.*  
(Virg. Aen. 1. 317). *Amisso longo socios sermone requirunt.*

EXCEPTIONES. 1.<sup>a</sup> Monosyllaba *b, d, t* finita brevia sunt, ut *āb, ōb, sūb, ād, sēd, id, āt, ēt, it, ūt, dēt, flēt, scit*.

(Virg. Aen. 1. 406). *Dixit; et avertens rosea cervice refulsit.*

2.<sup>a</sup> Breves etiam sunt conjunctiones encliticae *que, ne, ve*, ac syllabicae adjectiones *pte, ce, te*, ut *suaptē, hiscē, tutē*.

(Virg. Aen. 1. 132). *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?*

(Id. Aen. 6. 104). *O virgo, nova mi facies inopinave surgit.*

3.<sup>a</sup> Brevia pariter sunt:

1.<sup>o</sup> Nomina *cōr, fēl, mēl, ōs*, (ossis) *vir*. *Cōr* aliqui producunt.

2.<sup>o</sup> Pronomina *is, quis* et *quā* indefinitum, nisi est in ablativo.

3.<sup>o</sup> *Es*, (a verbo *sum*), et imperativa *fāc, fēr*, pro *fāce, fēre*.

4.<sup>o</sup> Adverbia *bis, tēr, cis, nec*, et conjunctio *vel*.

5.<sup>o</sup> Praepositiones *in, pēr*.

6.<sup>o</sup> *An* interrogandi particula, et *rē* compositivum, ut *rēcuso*. *Rēfert* vero *rē* producit.

4.<sup>a</sup> *Hic* pronomen anceps est.

(Ov. Met. 14. 386). *Tum bis ad occasum, bis se convertit ad ortum.*

(Ovid. Trist. 1. 3. 18). *Imbre pēr indignas usque cadente genas.*

(Virg. G. 3. 49). *Seu quis Olympiacae miretur praemia palmae.*

(Ovid. Pont. 4. 5. 11). *Sī quis, ut in populo, quā silis et unde requirat.*

N. B. Multa ex longis monosyllabis prisci per diphthongum scribebant, ut *sei* pro *si*, *nei* pro *nē*, *quei* pro *quē*: sic *hic* adverbium pro *heic*.

§ V. DE VOCALI ANTE DUPLICEM CONSONAM [442-448]

510. Vocalis longa est, si consona bina sequatur.

Contrahit orator, variant in carmine vates,

Si mutam liquidamque simul brevis una praeibit.

511. Vocalis ante duas consonantes vel ante unam duplicem, et ante *j*, longa est positione, ut *tērra, ārma, āxis, mājor*. Unde *j* habet vim consonae duplicis.

(Virg. Aen. 1. 58). *Luctantes ventos tempestatesque sonoras.*

(Id. Ecl. 4. 1). *Sicelides musae, paulo majora canamus.*

Si altera consonans fuerit in fine praecedentis dictionis, altera in principio sequentis, vocalis nihilominus longa erit. At si utraque consonans aut una duplex fuerit in principio sequentis dictionis, nihil fere praecedentem vocalem brevem juvabit. (Cf. n. 498).

(Ovid. Met. 2. 24). *In solio Phoebus claris lucente smaragdis.*

(Virg. Aen. 3. 270). *Jam medio appareret fluctu nemorosae Zacynthos.*

EXCEPTIO. Vocalis brevis ante mutam et liquidam ejusdem dictionis in soluta oratione corripitur, ut *volūcris, tenēbrae*; at in carmine communis est. (Cf. n. 499).

(Virg. Aen. 2. 794). *Par levibus ventis, volūcrique simillima somno.*

(Ovid. Met. 13. 607). *Et primo similis volūcri, mox vera volūcris.*

N. B. 1.<sup>o</sup> Necesse est praecedere mutam, sequi liquidam, ut *pētra*; alioqui syllaba non liquescit ut *repēta*.

Oportet vocalem esse brevem; nam vocalis natura longa numquam corripitur, ut *māter* (ματήρ), *mātris*.

N. B. 2.<sup>o</sup> *J* cum alia consona priorem vocalem efficit longam positione: v. gr. *ad Jovem, abjicio, cōnjuh*. In compositis si prima pars exit vocali brevi natura sua, modo producit, ut *rē-jicio, rē-jeci, rē-jectum*, modo non producit, ut *bī-jugus, quadri-jugus*.

(Virg. Aen. 10. 375). *Interea bījugis infert se Lucagus albis.*

N. B. 3.<sup>o</sup> Verbis a *jacio* compositis, ut *abjicio, rejicio, subjicio, etc.* poetae interdum detrahunt *j*, ut syllabam corripiant; quae tamen aliquando etiam post detractionem producit. Quod si prior vocalis longa est natura sua, numquam fit brevis: v. gr. *ēicit, dēicit, prōicit*.

(Sat. Theb. 4. 574). *Tela manu rēicitque canes in vulnus hiantes.*

(Virg. Moret. 95). *Spargit humi atque abicit servatum gramine bulbum.*

§ IV. DE VOCALI SIMPLICI ANTE SIMPLICEM CONSONANTEM

512. Corripi vocalem, sequitur quam consona simplex.

Vocalis simplex, quae loco diphthongi aut contractae vocalis non sit posita, brevis est sequente simplici consonante, ut *āgilis, lēgimīnōr, pāriētībūs*.

(Virg. Aen. 6. 669). *Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.*

(Id. Aen. 6. 647). *Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.*

(Id. Aen. 6. 655). *Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant,*

*Occupat Aeneas aditum corpusque recenti.*

(Id. ib. 733). *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, neque auras*

*Respiciunt, clausae tenebris et carcere caeco.*

N. B. Quoniam non paucae sunt vocales longae ante consonantem, quae aut apparenter dumtaxat sunt simplices, aut si reapse simplices sint, duplex tamen consona sequens simplici consona scribitur, operae pretium erit, regulas tradere praeteritorum supinorumque, incrementorum ac finalium longarum: iis enim pleraeque ex longis vocalibus ante consonantem positae continentur.

CAPUT II

DE PRAETERITIS AC SUPINIS [449-453]

§ I. DE PRAETERITIS AC SUPINIS DISSYLLABIS

513. Praeterita assumunt primam dissyllaba longam.

*Sto, do, scindo, fero, sisto, bibo, findo* reducunt.

514. Praeterita dissyllaba habent priorem longam, ut *veni, vidi, vici*:  
(Cf. n. 225. 2.<sup>a</sup>).

(Virg. Aen. 2. 347). *Quos ubi confertos audere in praelia vidi.*

(Id. Aen. 2. 324). *Venit summa dies et ineluctabile tempus.*

EXCEPTIO. *Steti* (a *sto* et a *sisto* neutro), *steti* (a *sisto* activo), *dedi, scidi, tili, bibi, fidi* (a *findo*) corripunt primam.

(Virg. Aen. 9. 589). *Diffidit ac multa porrectum extendit arena.*

(Martial. Ep. 1. 45). *Dixit et ardentis avido bibit ore favillas.*

(Lucan. 3. 471). *Aut scidit et medias fecit sibi littora terras.*

N. B. *Abscidit* ab inusitato *abscido* (*abs-caedo*), producit penultimam; ab usitato *ab-scindo* eandem corripit.

(Lucan. 3. 471). *Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas.*

(Id. 4. 502). *Abscidit nostrae multum sors invida laudi.*

515. Cuncta supina volunt primam dissyllaba longam.

*At reor, et cieo, sero et ire, sinoque linoque,*

*Do, queo, sisto, ruo* breviabunt rite priores.

516. Supina duarum syllabarum habent priorem longam, ut *visum, motum*, etenim contracta sunt.

(Virg. Aen. 6. 277). *Terribiles visu formae, letumque laborque.*

(Id. Aen. 1. 135). *Quos ego.... sed motos praestat componere fluctus.*

EXCEPTIONES. A *reor ratum*, a *sero satum*, ab *eo itum*, a *lino litum*, a *do datum*, a *sino situm*, a *ruo rutum*, a *queo quitum*, a *sisto statum* supina dissyllaba primam corripunt; verum *statum* a *sto* longum est.

(Virg. Aen. 2. 25). *Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenae.*

(Id. Aen. 2. 540). *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles.*

(Id. G. 4. 99). *Ardentes auro et paribus lita corpora guttis.*

*Catum* a *cieo* secundae conjugationis priorem brevem habet: *ctum* vero a *cio* quartae conjugationis priorem producit.

(Virg. Aen. 12. 902). *Altior insurgens et cursu concitus heros.*

(Lucan. 5. 597). *Inde ruunt toto concita pericula mundo.*

*Ruo* nunc fere caret supino, sed composita habent *rutum*: v. gr. *dirutum, erutum, obrutum*. (Cf. n. 146).

(Virg. Aen. 11. 279). *Nec mihi cum Teucris ullum post diruta bellum.*

*Statum* priorem producere in derivatis *staturus* et compositis docet Pri-cianus.

(Lucan. 3. 581). *Tunc res immenso placuit statura labore.*

(Martial. Ep. 10. 41). *Constatura fuit megalensis purpura centum.*

N. B. *Statum* tamen in plurimis derivatis corripitur, ut *stetus us, stetus a um, statio, statura, statuo, stabilis, et stabulum, etc.*, et quum a in i mutatur in *praestitum, constitum*.

(Virg. Aen. 2. 23). *Nunc tantum sinus et statio male fida carinis.*

(Ovid. Fast. 5. 33). *Hic status in coelo multos permansit in annos.*

§ II. DE SUPINIS POLYSYLLABIS

517. *Utum* producunt polysyllaba cuncta supina.

De vi praeterito semper producitur *itum*.

*Agnitus agnosco, cognosco cognitus* effert.

Caetera corripies in *itum* quaecumque supina.

518. Supina in *utum* polysyllaba habent penultimam longam, ut *solutum, argutum, indutum* (n. 229. 1.<sup>a</sup> γ).

(Virg. Aen. 9. 236). *Quae ferimus: Rutuli somno vinoque soluti.*

Item supina in *itum* a praeteritis in *ivi*, ut *cupitum, petitum, conditum* (a *condio*). (Cf. ibid. β).

(Ovid. Trist. 4. 1. 3). *Exul eram, requiesque mihi, non fama petita est.*

Caetera vero supina in *itum*, cum *agnitus* et *cognitus*, habent penultimam brevem (ibid. 2.<sup>a</sup>).

(Virg. Aen. 6. 620). *Discite justitiam moniti et non temnere divos.*

(Ovid. Trist. 3. 5. 9). *Idque recens praestas, nec longo cognitus usu.*

N. B. *Recensitus* non a *recenseo*, sed a prisco *recensio, is, ire* oritur, quare longum i habet. *Recenseo recensum* facit, *recensitum* nullibi est.

(Stat. In Eutrop. 2. 60). *Prisca recensitis evoluite saecula fastis.*

SCHOLION

DE VOCIBUS DERIVATIS EX SUPINO

519. Ex supinis verborum multa nomina tum substantiva tum adjectiva, itemque verba multa oriuntur, quae naturam sequuntur eorum, a quibus derivantur.

NOMINA

- Declinationis 4. *ae*; ut *vīt-a*, a vivo; *nūt-a*, a nascor (1).  
 2. *ae* Ut *cā-sus*, *peccū-tum*, *lē-tum* (a *leo*, cf. *de-leo*), *nā-tus*, *fū-tum*.  
 3. *ae* Ut *creā-tio*, *creā-tor*, *creā-triā*, *vī-sio*, *mūtā-tio*.  
 4. *ae* Ut *rī-sus*, *mō-tus*, *vī-sus*, *flē-tus*.

ADJECTIVA

- 1.º Addita particula *bilis* vel *lis*, ut *vīs-ī-bilis*, *rīs-ī-bilis*, *sūt-ī-lis*, *fūs-ī-lis*, *versūt-ī-lis*, *umbrāt-ī-lis*.  
 2.º Addita particula *īcus*; ut *umbrāt-ī-cus*, *venūt-ī-cus*.  
 3.º A derivatis in *or* finitis, gignuntur adjectiva in *ōrius*, ut *purga-tōr-ius*, *cen-sōr-ius*.  
 4.º Addita particula *ītius*, ut *transāt-ītius*, *advent-ītius*.  
 N. B. Hujusmodi particula in ortis a nomine habet primum *i* breve, ut *tribunītius*: excipe *nov-ītius*, ob metricam necessitatem.

CAPUT III

DE NOMINIS INCREMENTO

520. [462]. Si genitivus singularis par fuerit nominativo syllabarum numero, nullum erit incrementum, ut *musa*, *musae*; *dominus*, *domini*.

Sin longior fuerit, tum penultima genitivi incrementum erit, quae in omnibus casibus utriusque numeri semper genitivi quantitatem servat, ut *sermo*, *sermōnis*, *sermōni*, *sermōnes*, *sermōnibus*; ubique *ō* longum est. Praeter *bōbus* (pro *bōvibus* seu *boubus*) ubi *o* producitur, quamvis in genitivo singulari *bōvis* corripitur.

§ I. DE INCREMENTO PLURALI NOMINIS [472]

521. Crescentem *a*, *e*, *o* pluralem protrahe casum.

*A*, *e*, *o* incrementa multitudinis longa sunt, ut *quōrum*, *hārum*, *ambābus*, *rērum*, *rēbus*, *hōrum*, *quōrum*.

(Virg. Aen. 2. 35). At *Capys* et *quōrum* melior sententia menti.  
 (Ovid. Pont. 4. 5. 27). *Quum* tamen *a turba rērum* requieverit *hārum*.

N. B. In *būbus* (pro *bou-bus*), *sūbus* (pro *su-ibus*), *vires* (pro *vi-ires*) etiam producuntur *u* et *i* utpote contracta.

(1) Ad structuram horum vocabulorum quod attinet, confer n. 232 et seqq. in quibus reperies eas particulas quae derivationi inserviunt; quarum rationem juverit, quum se offerat occasio, ad traditas ibi regulas exigere. (Cf. n. 242).

§ II. DE INCREMENTO A TERTIAE DECLINATIONIS SINGULARI [465]

522. Incrementum *a* singulare primae declinationis nullum est, nisi longum apud poetas, ut *aulāi*, *pictāi*.

In secunda nullum nomen producit incrementum, prima enim et secunda declinatio sunt parisyllabae.

523. Nomen in *a* crescens, quod flectit tertia, producit.

Mascula corripies *al* et *ar* finita, *trābemque*,  
*Fax*, *vas*, *mas* et *anas*, quis jungito *parque jubarque*.

524. *A* incrementum singulare tertiae declinationis longum est, ut *pācis*, *fugācis*, *pietātis*, *tribunālis*, *calcāris*, *laqueāris*.

(Virg. Aen. 7. 266). *Pars mihi pācis erit, dextram tetigisse tyranni*.  
 (Id. Aen. 6. 882). *Seu spumantis equi foderit calcāribus armos*.

EXCEPTIONES. 1.ª Excipiuntur masculina in *al* et *ar*, ut *sal*, *lar*, *Hannibal*, *Hamilcar*.

(Virg. Aen. 7. 266). *Vela dabant laeti, et spumas salis aere ruebant*.  
 (Sil. 8. 279). *Hannibalem Fabio ducam spectante per urbem*,  
 (Virg. Aen. 5. 744). *Pergameumque lārem et canae penetralia Vestae*.

2.ª Corripiuntur etiam *fax*, *vas vādīs*, *mas*, (*daps*) *dāpis*, *anas*, *jubar*, *trabs*, *par* cum compositis *compar*, *dispar*, *impar*.  
 (Virg. Aen. 4. 150). *It portis jubāre exorto delecta juvenus*.

SCHOLION

525. In genitivis *animālis*, *cochleāris*, a nominativis *animal* et *cochlear*, syllabae *āl* et *ār*, juxta traditam incrementi notionem, incrementa sunt. Quum autem hi genitivi iidem maneant, sive a nominativis *animal*, *cochlear*, sive a nominativis *animālis e*, et *cochleāre* orti censeantur, patet incrementi notionem latius accipi posse, tribuque particulis etiam derivativis *alīs* et *arē*, quae jam in nominativo reperiuntur additae radicalibus *anima* et *cochlea*.

Porro quemadmodum ex *anima* et *cochlea* fit *animālis* et *cochleāre*, ita fit 1.º ex *fides*, *fidēlis*; ex *hostis*, *civis*, *hostīlis*, *civīlis*; ex *tribus*, *contribūtīs*; ex *pecus* (*pecūlis*, unde) *pecūlium*, *pecūnia* (pro *pecūliā*), *pecūliaris*, etc.; 2.º ex *sonos* (nominativo archaico) *sonōrus*; ex *numeros*, *numerōsus*.

526. Simili ratione ad incrementum *ācis*, ut *fugax*, *fugācis*, reduci potest terminatio *āceus*, quae per *āginus* etiam efferi solet, ut ex *fabā*, *fabāceus* et *fabāginus*, ex *violā*, *violāceus*, ex *oleā*, *oleāginus*. Quae praeterea syllaba longa *āg* reperitur, servatō *a*, in *farrāgo*, *inīs*; *imāgo*, *inīs*; a vero in *i* et *u* mutato, in *orīgo*, *rubīgo* et *lanūgo*, *salsūgo*, *aerūgo*, vel *aerūca*, *lactūca*, *festūca*.

N. B. Huic formationi reduci possunt 1.º verba in *āgo*, ut *indāgo*, *as*; 2.º verba in *īgo*, ut *calīgo*, *castīgo*, *fatīgo*, *fustīgo*, *vestīgo*; caetera breve *i* habent, ut *navīgo*, *remīgo*, *fumīgo*, etc.; 3.º nomina *ambāges*, *strāges*, *fastīgium*, *praestīgiae*, *rectīgial*, *vestīgium*, et si qua sunt alia. *Harpāgo* graeca est vox (ἄρπαγῆ).

§ III. DE INCREMENTO e ET i TERTIAE DECLINATIONIS [466, 467]

527. En ēnis, vervex, lex, seps, plebs, protrahe et hallec,  
Et ver, rex, locuples, haeres, mercesque, quiesque.

Genitivus enis penultimam habet longam, ut ren, rēnis.  
(Virg. Ep. 1. 6. 28). Quod latus, aut rēnes morbo tentantur acuto.

Item producuntur, vervex, lex, seps, et reliqua quae ponuntur in carmine.

(Virg. G. 1. 43). Vere novo, gelidus canis quum montibus humor.  
(Juvenal. Sat. 10. 50). Vervēcum in patria crassoque sub aëre nasci.

528. Ix protende: salix rape cum vice, fornice, variæ;  
Samnis, lis, vibex produc dis, glisque quirisque.

Nomina syllaba ix finita penultimam genitivi habent longam, ut felix, perdix, coturnix. Fornix vero, variæ, cum reliquis in carmine positis, eandem habent correptam.

(Virg. Aen. 3. 493). Vivite felices, quibus est fortuna peracta.  
(Lucan. 3. 684). Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.

Samnis ūtis, glis gliris, vibex vibicis, lis litis, dis ditis, quiris quiritis penultimam producent.

(Pers. Aen. 8. 158). Si puteal multa cautus vibice flagellas.  
(Virg. Aen. 6. 27). Noctes atque dies patet atri janua ditis.

N. B. Nomina propria quaedam in orix ut Ambiorix, Orgetorix, Vercingetorix sunt dubiae quantitatis in genitivo. Item gentilia in iæ ut Biturix, igis, et etiam appendix.

§ IV. DE INCREMENTO o ET u TERTIAE DECLINATIONIS [468-471]

529. O longum: genitivus oris breve neutrius esto.

Ōris ab os. Breviato memor, bos, compos, et impos,  
Et lepus, et praecox, arbor, cum Allobroge et obs, ops.

O incrementum tertiae declinationis longum est, ut sol, vox, ferox, candor, sacerdos, leo leōnis.

(Ovid. Met. 2. 1). Regia sōlis erat sublimibus alta columnis.

EXCEPTIONES. 1.<sup>a</sup> Genitivus in oris a nominibus neutris, praeter os ōris, cui adde comparativa, penultimam habet brevem, ut marmor, ebur, corpus.

(Ovid. Met. 2. 1). Marmōra quae Spartae Pariisque oriuntur in agris.  
(Virg. Aen. 4. 487). Componens manibusque manus, atque ōribus ōra.

2.<sup>a</sup> Brevem habent penultimam memor, bos, compos, et reliqua supra posita. Item finita in obs et ops, ut scrobs, inops.

(Virg. in Epigr.). Sic vos non vobis fertis aratra bōves.

530. Fur, lux, da longis et frux; patriusque, si in udis,  
Uris et utis ab us recto, producit ubique.

At ligus et pecus adscribes cum intercute curtis.

1.<sup>o</sup> Incrementum u longum est in nominibus fur (φῶρ), lux (pro louc-s) et frūgis, quibus adde Pollux, ūcis.

(Virg. Ecl. 3. 13). Quid domini faciant, audent quum talia fūres!  
(Tibull. El. 2. 1. 5). Lūce sacra requiescat humus, requiescat arator.

2.<sup>o</sup> Interrogandi casus udis, utis et uris penultimam habent longam, ut palus ūdis, virtus ūtis, tellus ūris.

(Virg. Aen. 12. 435). Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem.  
Excipiuntur vero intercus ūtis, pecus ūdis, ligus ūris.

SCHOLION

531. Quemadmodum ex caupo, caupōnis fit caup-ō-na, ita ex tribus, trib-ū-nus; ex divus, div-ī-nus; ex ple-o (cf. impleo), pl-ē-nus; ex Roma, rom-ā-nus. Unde series terminationum in ānus, a, um; ōnus, a, um, vel ēna, ae (ut av-ē-na, hab-ē-na); ēnum, i (ut ah-ē-num); īnus, a, um et īna, ae (ut ru-ī-na, tonstr-ī-na); īnus, i et īnum, i (ut pulc-ī-nus, i, tonstr-ī-num, i); ōna, ae (ut matr-ō-na); ōnus, i (ut patr-ō-nus, i); ūnus, i et ūna, ae (ut fort-ū-na); et ūnus, a, um (ut opportūnus, a, um).

N. B. Hujusmodi terminationis haec videtur esse origo: quemadmodum a terra nunc fit terr-ġ-gēna, a Troja, troj-ġ-gēna; ita olim a terr-a, terr-e-genus; unde terreg-nus seu ter-rēnus; a Troja, Roma etc., trojānus, romānus pro trojagnus, romagnus; a divus, divinus; a tribus, tribūnus. Cf. benignus, malignus, aprugnus, pro benīgēnus, malīgēnus, aprūgēnus. Quae quidem explicatio vel ipsa significatione derivatorum confirmatur.

532. Terminatio ūs, ūtis (eadem ac tās, tātis) respondet graecae terminatione τῆς τῆτος, ideoque longum est ū, longum.

Eadem vero saepe convertitur in productam formam tūd-o tūd-inis, sive servata littera t, ut fort-ġ-tūdo, valġ-tūdo, sive rejecta littera t, ut test-ūdo (a test-a), hebel-ūdo (ab hebel-is), hir-ūdo; quo in casu littera u non raro in ī aut etiam ē migrat, ut lib-īdo, form-īdo, dulc-ēdo, torp-ēdo.